4.

IOANNIS RAMATI ORDINARII IVRIS PONTIFICIJ professoris Lutetiæ disputatio de Vsucapionibus,

IN

Mart. Gilbertum Iuris vtriusque consultum.

PARISIIS,

Apud Andream Wechelum.

1559.



IOANNES RAMATVS IVRIS CANONICI PROFESSOR ordinarius, M. Gilberto Iuris vtriusque consulto S.

DETVLIT ad me hodie libellum tuum, mi Gilberte, quidam summæ spei adolescens, qui me iuris Cæsarei elementorum magno auditorum concurrente numero in priuatis ædibus nuper interpretem quotidie, attentéque audiebat. Ille vsucapionis definitionẽ mihi non probabat, quam tu principio commemo-

ras, permultáque patum homini, qui ſe iuris vtriuſque conſultum dicit, conuenire exiſtimabat meam de ea re ſententiam poſtulans. Cui ego te in iure vtroque non mediocriter verſatum eſſe ex animo profitebar, de quo tecum olim ex ſenatus præſcripto publicè diſceptauerã, ſed quanto magis id illi perſuadere conabar, tanto mihi magis reclamabat, vnum illud aſſerens te aut falſum ſcripſiſſe, aut me olim perperam fuiſſe interpretatum Iuſtiniani conſtitutionem de vſucapionibus, quod commentarij tui ab interpretationibus meis omnino differant. Ego vt cauſſam meam agerem coactus pene promiſi me non mea tantùm, ſed ipſius gratia defenſurum, quæ aliquando explicabam, quò mihi poſtea facilius fidem adhiberet. Itaque æqui ſi placet conſules, ſi hoc neceſſariò agens tuæ aduerſer ſenten-

tiæ

tiæ: neque enim debes iniuriæ vllius inferendæ caussa id à me fieri, aut quò famam tuam vel tantillum suggillem, tibi persuadere. Memini me quondam Trasibuli legem tibi in nostris disputationibus publicis retulisse, quæ iniuriæ obliuio Athenis vocabatur. Et iure nostro id receptum est, iniuriam nõ esse, si quis repugnans alteri caussam suam tueri desideret. Dicam igitur in quo à te dissentio, ídque non tam libenter quàm necessariò, expectans quid velis replicare, quod breui vt facias, quæso. Sic definis vsucapionem: Vsucapio est acquirendi dominij iure Ciuili modus. At hæc definitio ex Modestini responso apertè reprehenditur, cùm inquit, vsucapionem esse, non modum acquirendi, sed ipsam acquisitionem. l. iij. ff. de vsucap. nec videtur satis iure initiatus, qui non putat modum

acquirendi ab ipsa acquisitione differre. Quinimo Æmilius Ferretus eo loco eleganter contra Paulum Castren. notat Modestinum vsucapionẽ definire, ut sit acquisitio per continuationem possessionis temporis lege definiti. Et in definitionibus rerum solam referri substantiam, modúmque ad eam non pertinere satis sciunt, qui rectè norunt ratiocinari. Verba hæc, iure Ciuili, *Priscianus vix probaret: latinè enim dici puto, iuris Ciuilis, non etiam iure Ciuili: nam, si tibi assentimur, vsucapio est acquirendi dominij modus iuris Ciuilis. Sed hoc leue est, paruíque facio ætatis nostræ homines, qui Cælium imitantes eloquentiæ studio multo maiorem, quàm iuris scientiæ dãt operam, autor est Pomponius in l. ij. ff. de orig. iuris. Veruntamẽ eò sæculo nati sumus, ideo tempori seruiendum, sermonísque*

nisque proprietas & eloquentia cùm iuris cognitione iuncta res est præstantissima. Eadem pagina sic scribis: Dicta verò est vsucapio, quod per vsum aliquid capiat, & ab alio auferat, in quo vide obsecro, quàm longè aberres, dum scribis vsucapionem capere: id planè falsum est: homo enim, qui rem alienam bona fide iustáue caussa diu possidet, capit, hoc est, acquirit, ipsáque vsucapio non aufert ab alio, sed aufert qui vsucapit, quem Modestinus refert sibi adiicere. l. iij. ff. de vsucap. Conanum ætatis suæ iurisconsultorum non iurisprudentia tantum, sed eloquentia, dicendíque lepore facilè principem reprehendis citans Alciatum in l. quinque pedum Cod. de quinque pedum præscript. qui titulus in iure non extat. Te fortasse falsus aliquis interpres fefellit, ex quo in Codice exta-

re titulum de præscriptione quinque pedũ forsitã intellexisti. In vsucapione præter possessionẽ, vsum desiderari elegãti hoc argumento doces. Cùm possessionis, inquis, continuatio requiratur, & possessio naturaliter interrupta vsucapionem dissoluat, satis apparet solius possessionis rationem non haberi, vsúmque maximè desiderari. Argumentum hoc de vsu concludit nihil, neque sequitur, interrupta possessione intertumpitur vsucapio, ergo vsu in vsucapione est opus: cùm enim dicimus interruptam possessionem, significamus possessorem de possessione sua deiectum, non etiam de vsu: permulti rerum possessores sunt, qui re non vtuntur, eáque vti non possunt, veluti is qui commodauit: ille quidem possidet. l. rei. ff. commodat. alteri tamen rei vsus competit, quo vtente impedimento nihil est,

quomi-

quominus is qui commodauit vſucapiat. Commodare eſt rem alteri vtendam dare. §. Item. Inſt. quibus mod. re cōtrah. obligat. quod ius vtendi tandiu durat, quandiu patitur conuentio. l. in commodato. §. ſicut. ff. commodat: Sed interdum duo hæc promiſcuè vſurpantur: hac ratione Conanus poſt Alciatum rectè cenſuit vſum pro poſſeßione à Modeſtino appellari in d. l. iij. quaſi velit eum, qui longo tempore rem alienam habet eius fieri dominum, non tamen negas quin ſufficiat eum, qui rem habet, poſſe re vti; ſed vti neceſſariò non oportere. Ego nullo vſu opus eſſe ex Neratio optimè coniicio in l. ceptam. ff. de vſucapionib. vbi, ſi pater, cuius hæres eſſe poſſum, incepit poßidere, implebo vſucapionem ante hæreditatem aditam, vti tamen re ante hæreditatem aditam non poſſum. Ecce

igitur, in vſucapione vſus non requiritur. Ius ſolum rem retinẽdi ſufficit ad vſucapiendum. Eodem capite Conanum refers dum Gellium reprehendit diſputantem an vſuſcapio dici poßit ſicut pignoriſcapio. Rectè equidem Conanus ſentit. Cui nihil aliud adiiciendum eſſe cenſeo, quod pignoriscapio ſit acquiſitio rei pigneratæ, ſicut mortis cauſſa capio rei mortis cauſſa donatæ, quod ad vſucapionẽ referri non poteſt: nõ enim vſucapio eſt acquiſitio vſus, ſed per vſum acquiſitio, quod homini paulo humaniori non eſt incognitum.

Secundo capite ſcribis vſucapionis verbũ generale eſſe, cõplectíq; ſub ſe vſucapionẽ in ſpecie, & præſcriptionẽ autore, inquis, Alciato in l. traditionibus Cod. de pact. & Cumano tuo loco. Nos, vt ſcribis, vſucapionem à præſcriptione

differre

differre trifariam perpendemus. Primò respectu habito ad res, de quibus vtráq; prædicatur. Secūdò inspecto tēpore, quod in vtraque exigitur. Tertiò ratione iuris, quod ex vtraque quæritur. Verba hæc tua sunt, quibus, aut fallor, docere contendis vsucapionem ad res mobiles, aliam ad res soli pertinere. Item in vsucapione trium annorum, in præscriptione lōgioris temporis spatium desiderari: Postremò eum, qui vsucapit ius maius acquirere, quàm qui præscribit. Omnia hęc apertè falsa sunt. Quod ad primum attinet vsucapionem esse rerum mobilium, præscriptionem aliarum nullo latino autore probare posses. Et quidem tantum inter vsucapionem & præscriptionem interest, quantum inter acquisitionem longo vsu factam, & exceptionem, quæ iure datur illi qui vsucepit. Postquam vsuce-

pit possessor, si de re quam habet conueniatur, præscriptionem habet, hoc est, actionem excipit, quæ exceptio ex vsucapione nascitur. Eorum, qui latinè loquuntur, nullus diceret, se rem vllam præscripsisse, sed longo cepisse vsu, ex quo præscribit actori, id est, excipit: præscribere enim non aliud significat in hac re, quàm excipere, vt constat ex l. an vitium. §. i. l. creditor qui. ff. de diuer. & tempor. præscrip. Marcellus in l. iij. ff. de præuaricatoribus si reus, inquit, accusatori publico iudicio ideo præscribat, quod dicat se eodem crimine ab alio accusatum & absolutum. quo loco præscribit accusatus, & excipit quod eiusdem criminis aliquando postulatus esset, & absolutus, neque hoc ampliori indiget probatione, cùm id verum esse tu ipse fatearis, quæ res magnæ mihi est admirationi

tioni quod qui veritatem nouit, ab ea nullo autore probo recedat. Sed videamus an rectè poßit tua defendi sententia, quam probari existimas l. 1. Cod. de seruis fugitiuis. & l. iij. ff. de diuersis & tempor. ex sensu, inquis, & intellectu Accursij, quod in vtroque loco vsucapionis & præscriptionis verbum sit additum, Accursij intellectum postea non probas, quia illi aduersatur dictio, nec, ac tandem verum legis sensum alio loco dicturum te polliceris, quo, quæso, diligentius inspice, ne alia mihi amplius scribendi aliquid detur occasio, qua in alio vtiliore, magísque sedulo negotio vti desiderarem. Quod ad rem hanc pertinet, interea, dum tu legis illius intellectũ cogitabis, dicã quod sentio. Imperator ait: Seruum fugitiuũ sui furtũ facere, & ideo nõ habere locũ nec vsuca-

pionē, nec longi temporis præſcriptionē manifeſtū eſt. *Quæ verba ſignificant eum, qui ſeruū fugitiuū poſſedit, neque vſucepiſſe, neque ſi conueniatur vlla exceptione defendi poſſe, cùm vſu non ceperit. Imperator in. §. ex his itaque. Inſtitut. per quas perſonas ait, per ſeruū domino acquiri aut vſucapionem, aut longi temporis præſcriptionem, qui locus te magis adiuuat, quàm vllus alius, ſed ille interpretationem hanc recipit. Si quis rem alienam à non domino accipit, is aut vſucapit, dum poßidet, aut cùm diu poſſedit, ſi res ab eo vſucapta petatur, præſcribit actori exceptionem vſucapionis obiiciens: poſſeßionis enim effectus eſt, quod poſſeſſor legitimo tempore dominium acquirat, eóque quæſito cuicumque agenti natam ex vſucapione exceptionem obiiciat. Alius eſt. §. diutina.*

Inſtitut.

Inſtitut. de vſucap. qui ferè vſucapionem à longi temporis præſcriptione ſeparat, ſed eodem ſenſu debet intelligi, vt tempora continuentur in vſucapionibus, hoc eſt, vſucapitur res qua de agitur, & poſt impletam vſucapionem præſcriptioni locus eſt. Sed hæc tu non citas, quæ, & ſi tuam videantur ſententiam probare, non tamen verè probant vſucapionem differre à præſcriptione vt exiſtimas: id enim perpetuò verum eſt ex vſucapione præſcriptionem naſci. Quoties præſcriptionis ſimul & vſucapionis Imperator meminit, per vſucapionem ſignificat ipſum tempus, quo quis nondum vſucepit: cùm autem perfecta eſt vſucapio, ei qui vſucepit præſcriptio datur. nec mirum videri tibi hoc debet: nam Paulus Caſtren. in l. j. ff. de pact. ait pactionem ſæpe pactum ipſum ſignificare, & inter-

dum pactio est id ipsum negotium, quo quis cum altero paciscitur, postquam verò conuênit pactum Vlpianus vocat. Ad idem redeo quod præscriptio non acquisitionem, sed exceptionem ex vsucapione natam significat. Neque obstat l. ij. Cod. in quibus caussis, verba hæc sunt. In seruorũ proprietatis negotio, cũ vsucapio locũ habeat, ad quæstionem longi tẽporis præscriptionis superfluo peruenitur: *quæ verba prorsus à re nostra aliena sunt. Diocletianus vult eum, qui vsucepit seruũ, vsucapione tutũ esse, quod vsucapio anno vno fieret, neque debere longiori tẽpore ad seruum acquirendum vti, vt illi longi temporis detur præscriptio seu exceptio, quæ ex duobus annis nascebatur. §. j. Instit. de vsucapionib. Itaque frustra quis annos duos se possedisse contendit, cui sufficit*

vnius

vnius anni poſſeßio. Res enim mobiles ante Diocletianum anno vno, cæteræ duobus vſucapiebãtur. neq; ad rem pertinct Martiani reſpõſum in l. reſcriptis. ff. de diuerſis & tẽpor. quod ineuitabile vocas. Notat Martianus differentiam inter res ſoli, & alias: ait res mobiles anni vnius, alias duorum ſpatio vſucapi. Ex eo non colliget aliquis, quin res omnes vſucapiantur. Illud ſolum intereſt, quòd ex vſucapione rerum immobilium oriatur exceptio, quæ ſpecialiter diutiuæ poſſeßionis præſcriptio appellatur ab eodem, & Modeſtino in l. longæ. ff. de vſucap.

In eodem capite pag. 7. numero. 3. exiſtimas per longam poſſeßionem ſignificari decem aut viginti annorum ſpatium, quod quàm longe abſit à vero Iuſtinianus oſtendit in principio tituli de v-

ſucapionib. cùm inquit, ne domini maturius, & tam cito rebus ſuis defraudentur, ſe tempus prorogaſſe, nempe ut mobilia triẽnio, cætera decẽnio, uel uicennio acquirantur: Quæ uerba luce ipſa clariora ſunt, ut uel luſcioſus facile colligat ante Iuſtinianũ decem vel viginti annorum vſucapionem in vſu non fuiſſe. Neque ſententiã tuam probas vlla lege, ſola Hermogenis autoritate id cõfirmari credis, qui in fiſci tantùm quæſtionibus viginti annorum præſcriptionem cuſtodiri notat, extra cauſſas igitur fiſci incerta erant Digeſtorum iure tempora ad uſucapiendum neceſſaria, non quidem re uera incerta: nam Paulus in l. iiij. ff. de uſucap. uideamus, inquit, quanto tempore res uſucapiantur, quod ueriſimile eſt eum dixiſſe, ſed putat Euguinarius Baro à Triboniano non fuiſſe in Pandectas

dectas

dectas relata tempora. Est igitur vsucapio rerum cũctarum acquisitio, quæ præscriptionem parit, eáque longi temporis appellatur, si res sit soli, & simpliciter præscriptio ex rei mobilis acquisitione nata exceptio.

Tertio tractatus tui capite scribis pinguius & potius ius, sic loqueris, quæri ex vsucapione, quàm præscriptione. Id te scire velim ex præscriptione ius nullum omnino in re quæri, quod si mihi boni alicuius autoris textum obieceris, cedam caussa. Putabam tibi ex nostris disputationibus persuasum esse præscriptionem ius esse ex vsucapione natum, neque eum latinè loqui, qui se aliquid præscripsisse diceret, significans se vsucepisse. Scio te cum cæteris arbitrari rerum mobilium directum, quod, vt loquaris elegantius, plenum vocas, aliarum verò do-

minium vtile longo vſu acquiri. Paulus in l. Sempronius. ff. de uſu legat. proprietatem vocat plenam & ſolidam, fundúmque plenum. Et Fernandus ad. §. nihil cõmune. exiſtimat dominium nunquam plenum vocari: ego me legiſſe non memini locum, quo dominium plenum diceretur, diuerſa proprietatis cauſſa eſt: id tamen tibi do ac prætermitto: eſt enim venia dignum. Vt probes ex vſucapione ius maius acquiri, citas l. j. l. iij. l. eum qui ædes. ff. de vſucap. l. j. §. cum prædium. ff. de pignorib. l. traditionibus. Cod. de pact. § . j. Inſtitut. de vſucap. quæ leges neque antiquorum neque tuam ſententiam probant. Si mihi latino autore probaueris tribus annis ius maius quàm decem quæri, tuæ accedam ſententiæ, vel ſi ratione vlla oſtenderis id credere oportere. Sed tibi textus, ratióque

que

que deficit, ideo ius in re mobili quæsitum ab eo ne discernito, quod in re immobili vsus dat possessori. Hinc fieri arbitror, vt superuacua sit tua aliorúmque disputatio de actione, an ipso iure tollatur per usucapionem, sicut per præscriptionem, sic loqueris, nam ipso iure actionem tolli est omnino tolli, ut constat ex. §. præterea. Instit. de except. quo loco Imperator vult actionem pacto conuento non omnino tolli. quam Vlp. in l. si unus. §. pactus. ff. de pact. notat non tolli ipso iure. sic debet accipi eiusdem responsum in l. si ita. ff. de leg. j. Iuliani quoque in l. huiusmodi. §. legatum. & l. si fundũ. ff. eod. tit. Duarenus aliter explicat in d. §. pactus. ego id assero, verba hæc, ipso iure, significare aliquid fieri à lege absque homine. §. sui. in ij. Instit. de hæred. ab intestat. vbi filius minor est pa-

tris hæres ipso iure, hoc est, absque curatoris consensu. Siue igitur disputes an per vsucapionem tollatur omnino actio, an lege, frustra à veteribus id fieri & à te ex eo constat, quod qui vsucepit, si conueniatur exceptionem habet, ille verò cuius res est vsucapta, nullo iure agit, cùm omne ius, quod in re vsucapta habebat, longo vsu sublatum sit. Quod si is qui vsucepit, casu rei possessionem amittat, agit aduersus vnumquemque possessorem; neque si quondam fuit dominimus, retinendi rem ius habet vllum, si impleta sit vsucapio: alia caussa est, si res ad eum ante impletam vsucapionẽ peruenerit: l. vlt. ff. de publiciana in rem act. Ex his apparet vsucapionem tempore aut effectu à præscriptione non differre, ut existimas, nec præscriptionem esse rerum immobilium acquisitionem:

quæ

quæ omnia, ſi velis, legito mi Gilberte, ut in alijs iuris præfationibus, quas paras, accuratiore lima tuo commodo vtaris. Ego, dum ſcribes Apologiam, quæ ſcripſiſti de fideiuſſoribus, & proteſtationibus legam diligenter. Lutetiæ die decima ſeptima Aprilis, qua libellum tuum legi: Vale.

